

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-PRACTICA
SISTENS
METHODVM GENERALIOREM
MORBOS CHRONICOS
RITE TRACTANDI

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILIAN. INTIMO,
S. R. I. NOBILI, MEDICINAE ET PHYS. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET FACVLTAT. MED. H. T. DECANO,

PRO GRADV. DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
AD D. XVII. MAII A. S. R. MDCCXLVII.

PUBLICE DEFENDET
AVCTOR ET RESPONDENS
PAVLVS PAVLSOHN,
LIVONVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

VIRIS

ILLVSTIBVS, EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS, ATQVE DOCTISSIMIS
DOMINO

D. ANDREAE ELIAE
BVCHNERO,

SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILRAR. INTIMO, S.R. I. NOBILI, MEDIC.
ET PHYS. PROF. PVBL. ORDINARIO, IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIO-
SOR. PRAESIDI ET FACULTAT. MEDICAЕ H. T. DECANO;

DOMINO

D. IOHANNI IVNCKERO,

MEDICINÆ DOCTORI EIVSDEMQUE PROFESSORI PUBLICO, PRACTICO PAEDA-
GOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI FELICISSIMO,

E.T.

DOMINO

IOHANNI IOACHIMO
LANGIO,

MATHESEOS PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, IMPERIALIS ACADEMIAE NA-
TVRAE CVRIOSORVM ET SOCIETATIS REGIAE BORVES. SCIENTIA-
RVM SODALI.

DOMINIS MAECENATIBVS

ATQVE

PATRONIS ET PRAECEPTORIBVS

OMNI PIETATIS CULTV AC OBSEQVIO AEVUM
DEVENERANDIS

PERPETVAM
FELICITATEM ET INTEGRITATEM
PRO OMNIBVS
HACTENVS SIBI COLLATIS

**BENEFICIORVM
GENERIBVS**

ADPREGATVR
ET TAM
GRATIARVM ACTIONIS LOCO
QVAM
AD VLTERIOREM SVI COM-
MENDATIONEM

PRAESENTEM
DISERTATIONEM INAVGVRALEM
DICAT ET DEDICAT
TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS,
PAVLVS PAVLOHN.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-PRACTICA
SISTENS
METHODVM GENERALIOREM
MORBOS CHRONICOS
RITE TRACTANDI.

PROOEMIVM.

Aut me, aut laborem, si spectem, non vnam ponendi calami cauillam inuenio. Me enim si spectem, vires meas ad laborem exigendo, in deformi mei pretium delabi mihi videor, laborem in me suscipiendo, quem aetas mea non fert; laborem, certe! non paria, multo minus meliora viris practicotatis proferre possum, cum semper adolescentiae labores, sub maturioris iudicij incude repositi, imperfectam prodant faciem. Et cum iuuenis ad aegrotorum rempublicam accedam, id, quod multorum annorum accessione consequimur, nondum consequi mihi licuit. Innutritus tamen oculatissimorum practicorum doctrina, aliaque ratione, mea faciens, iure Statutorum Academicorum, profectuum specimen, leui minerua exaratum, exhibeo. Hinc B. L. rogo, vt primis conatibus,

A 3 bene-

6 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

benevolam censuram haud detrectantibus, veniam indulgeat, Deum *T. O. M.*, insimul comprecatus, ut omnia eueniant secunda.

CAPVT I.
PATHOLOGICVM.

§. I.

Morbus in genere nihil aliud est, quam *status praeternaturalis partium corporis*, tam fluidarum, quam solidarum, utrарumque crasis & mobilitatem, concurrentibus variis symptomatis, laedens. Conf. Excellentiss. IVNCKERI *Conspct. Med. theor. pract. Tab. I.* Exhibit hinc Pathologia medica varias quidem morborum distinctiones, varioque simul respectu, v. g. ratione aetatis, sexus, &c. Sed missis illis mentionem tantum mouemus eminentis illius distinctionis morborum, in *acutos*, *peracutos*, *acutissimos*, & *chronicos*, quo ultimo nomine tales speciatim comprehenduntur, qui longiori periodo, qua durant, ab omnibus aliis se distinguunt.

§. II.

Dantur variae inter morbos acutos & chronicos differentiae, quarum extantiores haec sunt. Differunt nempe *acuti a chronicis* 1) ratione periodi: Hi enim protractioris, illi breuis & breuissimae periodi sunt, ita ut acuti intra viginti, peracuti intra septem dies, acutissimi intra quatriduum exitum sortiantur. 2) Ratione *caussarum*: Sicuti chronici ut plurimum pro caussa agnoscunt vasculorum minimorum & tubu-

& tubolorum capillarium obstrunctiones, ita *acuti* states inflammatorias viscerum, & partium neruosomembranacearum laesiones pro caussa habent. 3) Ratione methodi medendi: *Acuti* enim, administris naturae medicatricis motibus, in statu s. n. in sanitatis conseruationem, & in statu p. n. in illius redintegrationem collimantibus, sanescunt; *chronici* arte magis curantur. Ratione prognoseos: *Acuti* sumnum minantur vitae periculum; *chronicorum* vero caussae diutius trahuntur, & moras necundo, lento gressu latius serpendo, aegrum tandem extingunt.

Taceo alias differentias.

§. III.

Quod ad *subiecta* morborum chronicorum attinet, tantum non omnes hominum, cuiuscunque fint aetatis, sexus, temperamenti, vitae getieris, morbis chronicis subiecti esse possunt. Interim tamen *infirmitas*, secundum CELSVI, *omnibus morbis patet*; & sic etiam infirmi facilius & citius morbis chronicis expositi sunt. Vbi connata debilitas, haereditaria dispositio, vbi a morbis praegressis, a peruerso rerum non-naturalium vsu, laesionibus violentis externis, contracta est debilitas, ibi maior in morbos, vti in alios, sic etiam in chronicos, proclivitas deprehenditur; vbi vita sedentaria cum diaeta lauta, ibi morbis chronicis facilis patet aditus; & sic etiam morbi chronici litteratorum, qui immori studiis & impallescere chartis solent, lucubrationumque fuliginem bibunt, similem pariter agnoscent originem. Vid, plura sub caussis.

§. IV

§. IV.

Variae & bene multae morborum chronicorum caussae sunt, primarias tamen, quae in illarum censum veniunt, delibasse sufficiat. Causam igitur frequentissimam morborum chronicorum constituit *insignis plethora*, cui praeterea vita motus expers adsovia, & ex hac, ob aequilibrium inter solida & fluida sublatum, nascentes obstructiones vasculorum minimorum & tubulorum capillarium, aliarumque glanduloso-membranacearum partium, in emunctoriis, quae natura particulis excrementitiis sequestrandis & excernendis paravit, quibus obstructis, non tantum hae incrementitiae partes in corpore restitant, sed & succi laudabiles impuri redduntur; caussae hae porro lentis incrementis adolescendo, tandem in cachexiam, cacoehymiam, putridas corruptiones, exulcerationes cancroideas & cancrosas, fatiscunt, vel in vasorum lymphaticorum rupturas desinunt.

§. V.

Satis quoque frequentes morborum chronicorum caussae existunt, *praegressi* alii morbi. Etenim eius indolis singuli sunt morbi, vt solidorum robur imminuant, imminutumque post se relinquant, hoc imminuto aut destructo, pigro lapsu in circulum abeunt humores, hinc in stases, stagnationes, corruptiones, quam facile ruunt, quae ad morbos chronicos ingenerandos via est patentissima. Eundem genium habent *enormes*, eoque magis *incompescibilis* *haemorrhagiae*, vt sunt immodica haemorrhagia abortuum praenuntia, immodica catameniorum, haemorrhoidum, lochiorum, profluuiia, prodigae sanguinis

guinis sub graui vulneratione contingentes profusiones. Si enim latex vitalis, copia solito maiori, alveolis vasorum elabitur, ita ut interdum vasa ferme incruenta reddantur, actio solidorum concidat necesse est, cum subsequis exinde pendentibus effectibus, ut languido humorum circuitu, virium lapsu, atrophia, stagnationibus, stasisibus, cachexia, cacoehymia, hydrope, febribus lenti, hecticodeis, hecticis. Huc spectat omnis morborum haereditariorum familia. Sic ut enim huius census morbi aegre sanationem admittunt, ob connatam solidorum atoniam: ita facile transitum in passiones chronicas faciunt.

§. VL

Porro inter causas morborum chronicorum progenitrices recenseri merentur, *morbi praepostere tractati*. Si enim fluxus alui, lochiorum immoderatum profluum, haemorrhoidum eruptio, haemoptysis, seri impurioris stillicidium, item febres, temeraria, praematura, impetuosa & tumultuaria suppressione praefocentur, expeditissima ad modo dictos chronicos morbos, pluresue alios, est via. Aut si reliquiae morborum non sedulo everrantur, ut in variolis, aut post partum, tunc ex facili febres lentae, vel aliae diuturnae affectiones, succedere solent. Non minus quoque in censem eorum, quae morbis chronicis ingignendis ansam praebent, venit *peruersus rerum non-naturalium usus*. Conuenit hoc in eos, qui luxu diffluunt, mensis sybariticis adsident, vita otio diffluentem comite, poculis strenui irriguam baccho mentem soluunt, calices siccant & totuna fistile hauriunt, nec non Venere abutuntur. Eius-

B dem

10 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

dém effectus sunt acidorum & spiritus vini abusus, item intense frigida. Acida enim sanguinem incrassando agunt, & exinde nascentibus obstructionibus, praesertim in exilissimis vasis, fauent. Quam male spiritus vini potatores sibi consulant, quotidiana abunde edocemur experientia: Vix enim, vel nunquam plane expugnabiles viscerum corruptiones sibi contrahendo, diuque status cachectici signa circumferendo, incident tandem in atrophiam, hydropem, lentam vel hecūcam febrem. Potus aquae intense frigidae, pleno haustu in corpus vel motu, vel rixis calens, vel sudore diffluens, ingestus, saepius acutorum pariter, ac chronicorum pathematum, causa existit.

§. VII.

Nimia convalescentium satietas facile morbos reciduos parit, qui deinde saepe in lento chronicos degenerant. Sic etiam nimis parca liquidorum adsumptio saepissime chronicarum passionum fundamenta sternit. Haud asymbolica etiam sunt animi pathemata. Sub curarum, praesertim exanimalium & carnificum, seruitio, tristitiae diuturnioris affectu, solidorum eutonia imminuit, qua imminuta omnes corporis functiones laesionem patiuntur; insequuntur praeterea virium iactura, adipitus prostratio, se- & excretionum languor, in primis humores per vasorum alueos tarde prouoluuntur, indeque eorum decubitus & infarctus cognoscuntur, unde dein longi morbi suos ducere solent natales. Caussarum, ex quibus mala chronica prognoscuntur, numerum adhuc porro augent, ipsa medicamenta, non qua medicamen-

camenta & sanitatis humanae instrumenta, sed qua male usurpata. Sic emetica, purgantia & alia, quae hyperemesis ac hypercathartes cent, mirum quantum primas vias laedunt, imo totum intestinorum volumen tono suo exuunt, insequentibus simul quam plurimis malis, ut sunt flatulentia, tympanitis, morbus coeliacus, atrophia, colica conuulsiva & alii morbi chronicci ; quod etiam testatur Illustr. b. m. HOFFMANNVS, *Med. systemat.* Tom. II. p. 250. sq. Eodem iure narcotica, opita, sedativa, analoga, male usurpata, inter passionum chronicarum caussas locum pariter merentur. Sed missas alias adhuc illarum caussas facio, transiturus ad reliqua huius tractationis momenta.

§. VIII.

Circa morborum chronicorum tractationem quaestio pathologico-practica moueri potest : *Num dentur crises in morbis chronicis?* Statuit quidem Cornel. PLEIERVS, *Med. crit. astrol.* quod in chronicis pariter, ac acutis morbis, dies critici obseruabiles sint ; sed pauci forsan Medicorum sententiae eius calculum suum addent. Cum enim per definitionem *criseos*, statim diebus, *κρίσις* vocari suetis, spectabili connisu materiae morbificae larga portio corpore exul agatur, cum insecuritate praesentanea euphoria ; in morbis chronicis autem quaedam materiae peccantis excussio vaga sit, nec statim diebus contingat, praeterea talis euacuatio morbo plenario abigendo non sufficiat : hinc, secundum plurimos Medicorum, de morbis chronicis non crises, sed *άνοεις* praedicandae sunt.

B 2

§. IX.

§. IX.

Indulgentissimo generis humani parenti debetur, quod *grauiores morbi chronicci rarius occurrant*. Sic paralyse, hemiplexiae, melancholia, gutta serena, epilepsia chronica, phthisis, hydrops, icterus niger, scabies maligna, huiusque generis alii, inter rariores morbos connumerari possunt. Cuius momenti ratio, luce sua, vt puto, radians, secundum Illustr. b. m. HOFFMANNVM haec est: Grauiores morbi chronicci pro causa agnoscent, vel magnam tortius motuum microcosmicorum systematis imbecillitatem, vel in specie summam alicuius visceris labem, & maximam humorum dyscrasiam. Cum vero via, qua itur ad eiusmodi corruptiones, non tam expedita sit, hinc sit, vt grauiores morbi chronicci rarius inueniantur. Confer. *Med. syst. Tom. II. Cap. VI. p. 139.*

§. X.

Quam diuersissimus fit morborum *ad corpus humandum habitus*, ratione climatis coeli, temporum anni, aetatum, temperamentorum, res per experientiam compertissima est. Luculentum huius rei *morbis chronicci* praebent indicium, quippe qui, experientia teste, *aestiuis mensibus mitescunt*, vel inducias agunt; immo iis detenti, pro circumstantiarum ratione, sanitatem maturant, vel maturare videntur. Non e longinquo ratio huius peculiaris circumstantiae accersenda est. Quid enim notius est, quam quod catholicum illud emunctorium, cutis, quantitate excernendorum, quae sub nomine *materiae perspirabilis Sanctoriana* veniunt, omnia alia emunctoria antecellat. Cum itaque ob coelum molle, ob aërem

rem circumfluum bene temperatum, pori corporis magis patuli fiant & materiae exiturae facilior pateat aditus, hinc natura excernendorum onere melius leuatur, hacque ratione morbi, vti alii, sic etiam chronicci, mitiorem indolem nacti, minus cruciare sentiuntur.

§. XI.

De prognosi etiam, *in morbis chronicis* formanda, quaedam commemoranda veniunt. Quanto difficilior est praesagiendi scientia, tanto dignior, ita, vt iure merito diuina scientia audiat. Nihil aequem arti diuinae auctoritatem & certitudinem suffurari, nihil etiam aequem Medicum *iatro* reddere potest, quam praesagiendi scientia. Et certe! morbi chronicci Medico in praedicendo negotium quam maxime facessere possunt. Vt autem nil obstat, quo minus in prognosi morborum chronicorum felix esse posse, historiam morbi completam pro cynosura habeat, sicque pro ratione subiectorum, morbi eiusque originis, &c. certius quid de ipso euentu statuere potest. Sicuti vero morbi haereditarii in structura & solidorum conformatione fundati sunt; ita vel optima vincendorum morborum praesidia eludunt, accedente praesertim exactissimae diaetae neglectu, cum confiteret, quod hac ratione eiusmodi morbi magis refractarii, immo inexpugnabiles reddantur. Quod vero ad morbos chronicos acquisitos attinet, maior utique eluctandi spes, si cetera manent paria, adfulget.

CAPVT II.
PRACTICVM.

§. XII.

Et experientiae calculo comprobatur, & rationibus physiologico - pathologico - practicis innititur illud Medicorum axioma: *Chronica mala chronicam exposcunt curationem*. Nescit Medicina conscientiosa praefidii moram intempestiuam, dolosam, cunctationem, procrastinationem lucrosam, quippe quae, secundum HIPPOCRATEM, periculum vitae adferre potest. Exposcit ipsa morborum chronicorum indoles rationalem expectationem. Si spectantur subiecta, inter debiles ac infirmos connumeranda sunt §. III. In solidis nostris vigent potentiae motrices, & ex earum mouendi potentia aestimandae & dimetiendae vires, in quibus magnum sanitatis & conseruandae & reparandae praefidium collocari, indubium est. Hae porro agunt, si adsit status praeternaturalis, in materiam mobificam, eam resoluendo, abltergendo, alterando, inuertendo, colliquando, euacuando; illis vero debilitatis, effectus tardiores sunt, consequenter, nisi omnia conturbare & summa imis miscere velimus, moram rationalem, non tam Medici vendibilis conscientia, sed motuum decubentis conditio, imperant.

§. XII.

Systema illud, oeconomia & coordinatio motuum humores in circulum agentium, vere medicorum, in vitam & sanitatem collimantium, corpori diuini-

diuinitus inditum, i. e. *natura, optima non solum sanitatis conseruatrix, sed & optima morborum medicatrix* est, quod etiam quotidianae experientiae euentu, in statu secundum & praeter naturam, comprobatur. Interim tamen, nemine recusante, posterius limitato quadantenus sensu accipendum est. Etenim *naturae autocratia in persanis morbis acutis plus vallet, quam artis ministerium.* Sic constat, quod plebeiae & proletariae sortis homines, vilioribus cibis vescentes, & affectuum seruitio immunes, citra artis interuentum, solius naturae opera adiuti, ab acutis liberentur. Contra vero affectiones chronicae eius indolis sunt, ut ope solius naturae haud sane sciant, sed artis ope, natura tamen opitulante, indigent. In morbis acutis Medicum spectatorem magis, licet non plane otiosum, se praebere oportet; sed chronici, rite tractandi, exactam ipsius peritiam & subactum iudicium discretuo-practicum exposcunt.

§. XIV.

Medicus itaque morborum chronicorum curationem adgressurus, ante omnia *completam morbi historiam*, ad praxin rationalem, nostro praesertim aeuo, summe necessariam, sibi acquirat, ita, ut ratione subiecti sciat: an aeger parentibus sanis, vegetis, in plena aetate constitutis, an minus valentibus, debilibus, corpus cauillarium trahentibus, satus fuerit? debiles enim a debilibus, valentes a valentibus procreantur; cuiusnam sit aetatis, temperamenti, habitat corporis? Ratione morbi ipsius: an sit morbus haereditarius, a nativitate infestans? Porro praesciat & pensiculate excutiat, ex quibus cauissis succrene-

rit,

rit, quasnam functiones laedat, quoue gradu, num morbus sit solitarius, aut status complicatus? quibusnam aut qualibus, mitioribus, acerbioribus symptomatibus, morbus huc vsque sese manifestauerit, & adhuc manifestet? quamdiu iam durauerit? quale sit se- & excretionum negotium? quales effectus eousque usurpata remedia praestiterint? qualis aegri animus? num consiliis & monitis medicis asper? verbo: ne minimae praeteruisae sunt circumstantiae, quae, secundum hodierna Medicinae rationalis principia, exactam & completam morbi historiam ingredi debent.

§. XV.

Ne autem Medicus sine dnce & luce erret, ante omnia cynosuram quandam habeat. Haec est methodus naturae morbis medendi, eaque optima, ad quam omnia, agenda, omittenda, ceu ad archetypum, referat. Cum itaque omnia motu absoluantur, & in macrocosmo & microcosmo, hinc etiam natura microcosmi §. XIII. motu vtitur, nimirum circulacione sanguinis, gradu determinato & definito, per uniuersum corpus aquabili, ad omnia munia obeunda, quae & omnium partium integratatem custodiunt, & restaurandae sanitatis negotium attingunt. Nunc vero inter morborum chronicorum caussas inprimis sunt vasorum, maxime autem subtilissimorum, obstrunctiones, §. IV. hinc vna eademque sufficiens methodus est, obstruktionum repagula referandi, humores impactos diuerticulis suis expungendi, tardiorum humorum partem mobilem & permeabilem reddendi, vt dein ad excretiorum ora facilius prouolui

volui & e corpore expelli possint. Naturam itaque, tam fidam, in arduo tali negotio, ducem, sequi debet Medicus, illius sit minister, spectator, imitator, adiutor; *praestantissimus* namque *artis in medendo magister*, secundum DVRETVM, lib. de hum. purg. ille est, qui *fidelissimus naturae imitator, obseruator & adiutor est.*

§. XVI.

Exulent in tractandis morbis chronicis omnia, sic vocari sueta, *heroica*, valida, actiuae indolis & operationis remedia, quae magnam vim exserunt, tam ad motus excitandos, quam sedandos, siue sint *emetica*, siue *purgantia, sudorifera, &c.* Contra vero in iisdem *temperatiora, blandiora, naturae amica*, quam maxime accommoda sunt. Optime hinc ait CELSVS: *Imbecillis hominibus rebus infirmissimis opus est; mediocriter firmos media materia optime sustinet, & robustis apta validissima est.* Cum igitur in sella morbis chronicis laborantium turba, debilium numero sit accensenda §. III. praeterea in omni rerum natura, inter agens & reagens, si speratus effectus sequi debet, conueniens requiratur proportio; ideo pharmacorum vires agendi, cum viribus aegrotantis necessario sunt commetienda. Hoc neglecto, tantum abest ut medelae quid adferatur, ut potius maiora inde eueniant mala. Quare solide Illust. b. m. HOFFMANNVS, *Med. systemat. Tom. III. Sect. II. Cap. II. p. 442.* scribit: *Debilibus fortia porrigena, vires iisdem opprimit penitusque prosternit, vel plane cum vita extinguit; debilia autem fortibus offerens,*

C frustra-

18 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

*frustraneam prorsus lecat operam , aut commouendo,
nec emouendo, quod in vitio est, malum exacerbat.*

§. XVII.

Tentandum ergo prius, an potius motu corporis voluntario, quam medicamentis, morbus superari queat. Quantus constiterit in priscis temporibus, corporis exercitationibus honos, vel ex MERCVRIALIS Tr. de arte gymnast. intelligi abunde potest. Imo inter Medicos illius temporis disputatum fuit, an indistinctim corpora aegra exerceri conueniat? Sicuti vero paucissimi hanc sententiam adsensu suo comprobarunt: ita omnes veterum Medicorum sectae, in primis Methodici, vt THEMISON, SORANVS, AVRELIANVS, in hoc conueniunt, exercitationes in morbis chronicis abigendis esse apprime vtiles. Commendabant hinc valetudinariis pariter, ac conualescentibus, illam motus speciem, quae ~~ad~~ audit, quae erat motus quantitate mediocris, citra valentiorum nixum subinde quietem interponens, & medium, inter exercitationem validam & consummatam quietem, tenens. Vid. MERCVRIALIS lib. cit. Sed cum infra prolixius de hoc momento sermo sit instituendus, illi explicando ulterius non immoror. Hoc vero hic loci praemonere conuenit: Cardo huius tentaminis in iudicio Medici practico vertitur, qui, praemissis & pensiculate excussis omnibus circumstantiis, ratione subiecti, morbi eiusue gradus, iudicium ferat, an morbi motu expugnandi spes adfulgeat, nec ne? Insuper itidem dijudicare debet, qualisnam motus species, pro individui & morbi ratione, morbo expugnando maxime

xime sit accommoda? Conf. Illustr. Dn. PRAESIDIS
Dissert. *de speciebus quibusdam motus corporis, certis
morbis accommodandis.* Si vero morbus motu, sat
diu continuato, exactissima diaeta, & exquisita viuen-
di ratione haud neglecta, superari haud valeat, tunc
ex panoplia medica ea in usum prudenter sunt seli-
genda, quae secundum principia Medicinae rationa-
lis aegris quam optime commodant.

§. XVIII.

Primum vero laboris huius obiectum sunt
morbis chronicis interni, medice tractandi; secundum,
morbis chronicis externi, chirurgice tractandi.

§. XIX.

Cum leges bonae medendi exposcant,
vt *indications* statim ab initio formentur, hinc in
praesentiarum, si morbus adhuc expugnabilis, se-
quentes sufficient: I.) *Circulatio sanguinis per uniuersum corpus aequabilis restituatur;* II.) *se- & ex-
cretionum negotium promouetur & illibatum conser-
uetur;* III.) *exactissima diaeta obseruetur, &* IV.)
eutonia partium restauretur.

§. XX.

Quod ad *primam indicationem* attinet, notan-
dum maxime est, vt, antequam ad eam progredia-
mur, *primarum viarum depurationi* prospiciamus.
Vix enim non omnes morbis chronicis laborantes
cacostomachi sunt, eorumque primae viae acidorum,
ponticorum, & aliorum vitiosorum humorum sabur-
ra obfessae sunt. Cum vero actio primarum viarum
sit actio systematica, totius nimirum corporis bono
prospiciens; hinc Medicum illarum depurationi ante-

omnia intentum esse oportet. Huic obtainendo scopo inseruiunt clementioris indolis pilulae, ut *Beccherianae*, *Stablianae*, *Hoffmannianae*, *Iunckerianae*, aliae, quibus subiungenda sunt *stomachica temperatiore*, v. g. Eff. amara cum Eff. Cort. aurant. vel *Tinctura tartari remixa*, quae ante vel post ciborum adsumptionem praeberi & per totum morbi decursum continuari possunt. Huc spectant quoque *Elixir stomachica*, vt *Elixir. stomach. Hoffmanni*, in notis ad *POTERIVM* descriptum, itemque *Elixir. stomach. Michaelis*, &c. Haec enim iuuandae digestionis auxilia non tantum sunt, sed & insimul ad ingignendos benignos & laudabiles successos apprime faciunt.

§. XXI.

His obseruatis, inter medentis officia primicerium dicit *circulationis sanguinis per uniuersum corpus aequabilis restauratio*. Ex hac enim turbata, vel in hac vel illa corporis parte intercepta, omnia mala, tanquam ex equo Troiano, vbertim prodeunt. Ad hunc scopum impetrandum, commendatissimi vius sunt aquae minerales, tam *frigidae*, quam *calidae*, ita, vt securitate, efficacia, vtilitate, omnia alia, sanitatis & praeseruandae & reparandae praefidia, longe antecellant. Accedit, quod vi principiorum suorum, quae in sinu suo recondunt, vt sunt spiritus minerales, arti inimitabilis, sal fixum alcalinum, vel neutrum, vel volatile vitriolum, omnibus indicationibus satisfaciant, ratione & solidorum & fluidorum. Solidis enim tono suo exutis, hunc pariter ac robur iterum foenerant, illudue optime costodiunt, vt deinde eorum

eorum in fluida actio augeatur. In corrigendis fluidis desideratissimas commodant operas. Sic humores, pigro admodum lapsu progredientes, aptos redundunt, ut vegetius possint ferri per vasa, progrederi nefios in motum percident citatiorem, impactos latibus suis exturbant, crassos meabiles, fluxiles, permeabiles reddunt, & vasorum alueis eluunt.

§. XXII.

Licet vero hi fontes tam eximii & simul experitissimi vſus sint, tamen *sine praefitu Medici periti & proprio ausu* in vſum vocari haud debent. Valde enim ratione proportionis ingredientium & virium differunt, dum alii fortiores, alii per diaphoresin magis, alii per vrinam, alii per aliū plus operantur; hinc pro differente corporis constitutione, pro diversa morbi indole, gradu & statu, prudens eorum habendus selectus, haud praeteruiso congruo regimine & adpropriatorum medicamentorum vſu, quippe quo horum fontium salubritas quam maxime adiuuatur.

§. XXIII.

Secunda indicatio eo vergit, vt se- & excretionum negotium promoueat & illibatum conseruetur. Profecto! tanta est in statu f. n. excretionum necessitas & utilitas, vt, si cetera manent paria, earum successus, individualibus circumstantiis respondens, magnum, non dicam maximum tuendaे sanitatis praesidium sit. Sicuti vero status f. n. est regula recti; ita etiam secundum hanc obliquum, status nimirum p. n. dimetiri debet. Et hunc in finem natura varia, variae & dissidentis indolis partibus, vel tantum superfluis, vel excrementiis excernendis,

22 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

parauit emunctoria. Medentis itaque est, eo semper respicere, ut motus peristalticus, ordinario in hisce morbis segnis, blande excitetur, siveque *aluum officium suum faciat*. Fieri hoc potest & debet, non per validiora purgantia, sed per aluum ducentia, ut sunt *pilulae Beccheriana*, *Stahlianae*, *Hoffmanniana*, aut per alia *laxantia*, ut *mannata*, *rhabarbarina*, *tamarindinata*, *passiflora*, quippe quae aluum non tantum placide mouent & a fardibus suis liberant, sed insimul quoque intestinorum robur constiunt. Vel alii beneficium *enematis*, stimulo salino non armatis, secundari potest, quae tamen ex adpropriatis speciebus confiant, ut ex *radd. leuist. angel. enul. herbb. rut. card. b. scord. fumar. summitat. cent. minor. fl. chamomill.* &c. in vini & aquae dimidio coctis, quibus itidem fordes, flatuum materiam suggestentes, & aliis horum misellorum suppliciis ansam praebentes, elui possunt.

§. XXIV.

Notandum tamen insimul est, quod in quibusdam morbis chronicis, v. g. *lue venerea inueterata*, *scorbuto*, *hydrope* aliquique, interdum *validioribus enemantibus*, per *aluum* & *diuresin*, opus sit. Sic v. g. in *hydrope*, si adhuc sanabilis, *purgantia validiora* optime conueniunt, ut sunt *pilulae* sic dictae *purgantes*, item *catarrhales*; aut *remedia*, quae *vrimas potenter elicunt*, ut sunt *Tinctura antimon. acris*, maiori dosi data, *Tinctura tartari c. calce viua parata*, *praeferunt c. oleo terebinth. aut iunip. vero*, aut *oleo destillato bals. de Copainia exaltata*, *liquor nitri fix. & omnia alcalia fixa*.

§. XXV.

§. XXV.

Deinde per totius morbi tragodiam excretio illa, quae quantitate, secundum SANCTORII calculum, omnes reliquias superat, semper respicienda, nimurum sic dicta *insensibilis transpiratio peripherica*. Hoc optime fieri potest vel *motu corporis*, de quo infra, vel *medicamentis, materiae huins difflationem blande promouentibus*. Huic obtinendo scopo commodissimam locant operam *infusa loco potus Thee*, praesertim in lecto, sub placidi sudoris expectatione, *haustra*, quae parari possunt ex *temperatis & tonicis speciebus*, vt *herb. scord. card. bened. veron. betonic. salm. cort. culilaban. citri. rad. glyzyrrb. adiectis cardamom. minor. aniso stellato*, aut *sem. foeniculi*. Hac ratione sanguis magis fluidus redditur, hocque facto nexus suo otioso partes tardiores diuelluntur, postmodumque facilius ad vasorum excretiorum oscella prouolvuntur, ac insimul morbi gliscentis & latius serpentis incrementa praescinduntur. Ne vero *crassior pars* tarde per *urinas* descendat, illius etiam *excretio*, vel *vju fontium mineralium* §. XXI. quibus nullum aliud huius generis remedium, successu huius effectus, compar existit, vel *diureticis* §. XXIV. citatis, vel *infusis calidis*, modo allegatis, vel *alimentis diurefin blande crientibus*, de quibus infra, iuuanda est.

§. XXVI.

Tertia indicatio eo tendit, vt *exactissima diaeta obseruetur*. Sub hac merito Medici *animi pathemata* complectuntur. Sicut haec potentia ac celeritate nocendi venena vel aequant, vel superant; ita crudeliter in corpus defaeuiunt, totum motuum concen-

tum,

tum, totamue functionum oeconomiam conturbando. Et quod plurimum, eaedem patheticae commotiones eius indolis sunt, ut morbis, vti omnibus, sic quoque chronicis, fomenta praebent, eorum sanationi remoras iniiciant, vel eos tandem inexpugnabiles reddant, ita vt hac ratione horum morborum subiecta duplionis quasi poenam subeant. Hinc insimul in proclivi est iudicare, quam pessime morbis chronicis afflicti in corporis sui salutem consulant, si commotionum patheticarum furii intentur, & quam summe necessaria sit legibus diaetico-moralibus contemporata vitae ratio.

§. XXVII.

Post haec inter morborum chronicorum debellandorum praefidia palmam fert, *exactissima diaeta, exactissima viuendi ratio*. Vel vnum os beati nostri HOFFMANNI sufficit, ex vero praecipiens, diaetam maximum, in eiusmodi morbis subleuandis, vindicis, esse praesidium; *conf. Med. system. Tom. III. Sect. II. Cap. II. §. XIX.* eaque plus iuuari, quam grandis nis medicamentis, quae insuper in arcanis premuntur. Et quid mirum! Diaetetica remedia naturae sunt affinia, amica &, temperato suo in corpus agendi modo, motibus naturae temperatis optime respondent. Idem *Diuus Cous* sentit: *Medicina tutissima, inquietus, in chronicis diaeta.* Quam magni in canis retro seculis fuerit, testes laudari possunt *Diaetici*, qui nomen a diaeta nacti, per plurima secula nominatissimi in ea viguerunt: imo iidem adserere non dubitarunt, solis victus auxiliis quosvis morbos posse sanari. E re autem erit, omnem victus rationem

niem, quo fundamento nitatur, breuissimis enucleare. Datur actio ventriculi in ingesta & ingestorum reactio. Haec actio absoluitur potentis ventriculi motricibus, seu *motu* vocari sueto *peristaltico*. Si itaque hanc actionem inter & reactionem iusta sit proportio, negotium digestionis & concoctionis bene succedit; sin secus, omnia contraria eueniunt. Porro ipsa ingesta ratione iadolis & qualitatis quam diuersissima sunt, ita ut alia facilitioris, alia difficultioris digestionis sint, alia porro breuem, alia longiorem moram in ventriculo neant, & citius fugiant, vel tarde per intestina descendant, & quae sunt alia. Cum vero per §. III. morbis chronicis laborantium actiones stomachicae plus minus a statu naturali deflectant, consequenter mutatae ac infirmae sint, praeterea digestio, ob inertiam menstruorum microcosmorum, patiatur defectus; hinc semper in diaeta, morbis chronicis propria, ad hanc proportionem inter ingesta & debile ventriculi robur respiciendum, quo alimentorum nexus melius dissociari & chylus laudabilis euolui possit. Ex praedictis cuiuis patet huius diaetae necessitas, vtilitas, ingestorum delectus, praeparatio, condimentum, copia, occasio adhibendi, ordo offerendi, alia. Praesertim etiam in chronicis potus habenda est ratio. Vrget hoc in primis *b. noster HOFFMANTIO*. Vrget hoc in primis *b. noster HOFFMANTIO*. NVS, ita ut omnibus cereuiliarum generibus damnatis, decoctum praescribat, quod simul habet virtutem medicamentosam, i. e. quod humorum tenacitatem soluit, iustum fluxilitatis gradum iis conciliat, falsos humores, acrimonia ne laedant, contemperat, ob-

Distructa

26 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

structa recludit, excretiones iuuat, digestiones promouet, robur ventriculi tuetur & simul potu suaue est, ne nauseam creando, potatoribus aduersum euadat. Cum vero nulla cereuisiarum species hisce dotibus gaudeat, hinc tale *decoctum*, omnibus praeditis requisitis satisfaciens, parari potest, & quidem ex sequentibus speciebus, *rad.* nempe *scorzonera*. *sarsaparilla*. *caryophyllat*. *glyzyrrh*. *cichor*, *Lign.* & *cort*. *sassafr*. *santal*. *citrin*. *cassia caryophyllat*. *cort*. *culibalan*, *cirr*. & *aurant*. *herb*. *card*. *ben*. *semin*. *anis*. *foenicul*. *badian*. *bacc*. *iunip*. *tost*. *fruct*. *cerasor*. *nigr*. *adendo*. *nitr*. *antimon*. *cremor*. *tartari*, *rafur*. *C. C. hordeum*, *passul*. *minor*. *ficus*, &c. ex quibus quatuor vel quinque species eligi & exinde *decocta pro potu ordinario* parari possunt.

§. XXVIII.

Inter diaetetica remedia, ceu praestantissima, eminet etiam *motus corporis voluntarius*. Innumerata fere sunt motus voluntarii beneficia, in sanitatem vel conseruandam, vel redintegrandam, redundantia. Motus vniuersale naturae instrumentum est, cuius ministerio in obeundis muniis, quae totum sanitatis ac vitae absolvunt negotium, vtitur. Sic enim circulum sanguinis conseruat, se- & excretiones promouet, & corpus onere vel superfluorum, vel noxiорum, nocitorum, leuat, verbo: functionum naturalium, vitalium, animalium integritatem optimè tuetur. Et in eodem salubres, immo saluberrimos effectus conspirat motus corporis voluntarius, ab omni aeuo commendatissimus, & vsu multis in morbis expugnandis comprobatisimus. Sic uti

uti vero multae & inter se differentes dantur motus voluntarii species: ita etiam quaelibet harum proprium agendi modum in corpus exserit, consequenter illa motus species, quae individualibus respectibus morbi indoli accommoda, simul impe- randa est.

§. XXIX.

Nemo, quantum quidem scio, tam speciatim & solide de motu corporis voluntario, eiusque specimen scriptis, quam *Illustr. PRAESES*, in supra citata *Diss. de speciebus quibusdam motus corporis certis morbis accommodandis*, cuius dictum hinc in praesentiarum sequi licebit. Corpus mouetur vel *suarum ipsius partium beneficio*, vel *mediantibus aliis corporibus*. Prioris motus species sunt v. g. *ambulatio in plano*, *ambulatio per acclivias, saltatio, cursus, venatio, peregrinatio*; posterioris motus species sunt, *equitatio, vectura, gestatio, nauigatio, quorsum etiam referenda serrae traxio, lignorum fissio*, &c.

§. XXX.

Omnium lenissima motus species est, *deambulatio in plano, recta & flexuosa*, quae vel *blanda*, vel *vehementior* esse potest, comites habet omnes salubres supra §. XXVIII. citatos effectus, & hinc plurimos morbis chronicis cruciatus solatur. Ambulatio per acclivias & declivias est laboriosior, siquidem secundum CELSVM, Lib. I. Cap. 2. adscensus & descensus cum quadam varietate corpus mouet.

§. XXXI.

Saltatio morbis chronicis haud profutura est, ob *vehementiorem motum*, quo peragitur, quod

D 2 etiam

etiam valere potest de *serrae tractione*, *lignorum fissione*, *cursu*, *venatione*, & aliis vehementioris motus speciebus.

§. XXXII.

Equitatio, omnium fere consensu, morbis chronicis accommoda iudicatur. Cum vero duae praesertim dentur equitationis species, quarum vnam *gradariam*, alteram *tolutantem*, seu *succussantem*, vocare solent, & prior leniore, altera grauiorem motus speciem constituit; hinc *lenior species* in *dispositione phthisica*, *hectica scorbutica*, *cachectica*, *morro hypocondriaco*, omnino commodat. Quod etiam SYDENHAMII, nostri HOFFMANNI, aliorumque in medicina celeberrimorum virorum testimoniiis probatur. Si vero hi dicti morbi iam altas egerint radices, atque mora magis rebelles & inueterati facti fuerint, hoc auxilii genus minus probandum erit, tacemus, quod tunc contrariori & tragicci exinde nascentes effectus mortem accelerare possint.

§. XXXIII.

Sic etiam *vectura hypochondriacis* praesertim proficia est. Idem sentit b. noster HOFFMANNVS: *Vectura, inquiens, hypochondriacis singulariter accommodata est, & corpus praeципue a tardis passionibus vindicat. Med. system. Tom. I. p. 402.* Sic quoque foeminae, malo hysterico & aliis vteri vitiis chronicis, a tardo humorum per vterum progressu nascentibus, laborantes, speratum exinde percipient fructum. Conuenit practerea iis, quibus, ob iam iam praefitem virium defectum, grauior motus species haud utilis indicatur.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Lenissima deinde motus species est, *gesatio in lectica aerae*. Prior harum non tantum secura, sed & iis praesertim commendanda est, qui imbecilles & debiles sunt. Quod vero atinet ad *gesationem in nave aut cymba*, illa ob has vel illas circumstan-
tias, eandem saepe comitantes, non indistinctam suadenda est.

§. XXXV.

Non ultimum locum sibi vindicat *peregrinatio, aeris me-*
ratio, & in coelum salubritas secessio. Non heri & nudius tertius hoc
auxili genus, ceu singulare & vsu comprobatum morborum
chronicorum superandorum praesidiuin, inclaruit, quemadmo-
dum etiam prisci aei Medici multum ipsi tribuerunt. Perspe-
ctissimum illis erat, hoc institutum comitari ea, quae sanitati
admodum patrocinantur, vt sunt iuandae circulationis nego-
tium, aeris salubrioris vsura; accedit insimul, sub itinere, cura-
rum, quae forsani domi excubant, obliuio animique remissio.
Interim & hic Medici iudicio opus est, ne lege quasi dictatoria
hanc motus speciem imperet, sed pro ratione subiecti & morbi
statu, pro ratione temporis, cum Maius & September ceteros
menses salubritate superent, & pro aliarum circumstantiarum
conditione, se prudentem huius consilii auctorem praebeat.

§. XXXVI.

Cetera in seligendis & reiiciendis motuum speciebus non
specialissime commemoranda, Medici stant iudicio, qui, vt plu-
ries dictum, omnium circumstantiarum, in subiecto obuiarum,
ratione sententiam ferre sciat, quaenam motus species selecta
sit optima.

§. XXXVII.

Supereft *morborum chronicorum, chirurgice tractandorum,*
methodus. Non abs te quidem effet, hisce tractandis immorari;
sed cum tractatio nostra in nimiam excrescat molem, praeterea
mihi non licet nimis esse longo, hinc breuissimis earum tantum
laesionum externalium mentionem faciam, quibus cum interna
quadam labo chronica harmonia intercedit, ita vt virtutum, quod
extrinsecus conspicitur, ex interioribus natales suos ducat. Nunc

30 *Dissertatio inauguralis medico-practica*

secundum principia Chirurgiae medicae, cuius in proposito est
iudicare, in huiusmodi laetionibus externis cynoluram esse sta-
tum internum; & Medicorum & Chirurgorum rationalium esse,
ad utrumque & animum & oculos conuertere. Sicut vero mor-
bi chronici blanda methodo sunt excipiendi, vt ex superioribus
constat, damnatis omnibus heroicis, actiuioribus; ita etiam ea-
dem blanda methodo laesiones externae, cum laesioribus inter-
nis conspirantes, sunt tractandae, quod Excellentiss. noster IVN-
CKERVS in *Chirurgia sua medica* praesertim urget, ad quam
B. L. remitto.

§. XXXVIII.

Neque praeteruenda est *methodus* sese a morbis chronicis
praeservandi. Ne vnuis quidem hominum est, qui non summi
huius vitae boni, sanitatis scilicet, desiderio teneatur. Sed proh
dolor! plurimi, in primis corrupti nostri seculi, idem euenit, (sed
vbi culpam poena premis comes, iuxta Horatium,) quod olim
siebat cum iis, qui rem diuinam pro sanitate facientes, sanitatem
poliucto, nimia satietae, ingluvie, perdebant. Optima metho-
dus, sese a labe chronica immunit, praestandi, si *omnia ea,*
qua ad eius genesis faciunt, summo studio evitemus, quorum ca-
talogue §. IX. recenset, cum multo facilis sit, omnium Medi-
corum calculo, morbos praecauere, quam eos curare, eo, quod
praeservatio consilio, dum nocitura dissuadentur, curatio vero
auxilio, quod non perpetuo est in potestate Medici, perficitur.
Confer. etiam b. HOFFMANNI *Med. syst. Tom. I. p. 4.*

§. XXXIX.

Circa finem huius tractationis sequentia adhuc subiungere
lubet. Culpanda merito est multorum, non dicam omnium, qui
morborum chronicorum supplicia perpetiuntur, *pharmacomania*.
In multitudine salutem querunt, sed quadrat in eos finale illud
aliorum canticum: *Copia me perdidit.* His medicamentorum
heluonibus, vel instruictissimus medicamentorum adparatus pau-
perculus est, ita vt corporis malo ab extimis *oris medicina-*
mina pretiosissima anxie conquerant; horum dein pertaes facile
ad alia delabuntur, quae mendax fama obtulit.

§. XL.

§. XL.

Sed certe! de meliori commendanda etiam medicamento-
rum, vsu genuino comprobatorum, prudens continuatio. SENECA
iamiam Ep. II. rectissime scripsit: *Nihil aequa sanitatem impedit,*
quam remediotorum crebra mutatio. Commendatissimi vsus pro-
stant medicamenta, quae tamen non nisi sub continuato vsu effe-
ctus speratos spondent. Luculento indicio id probant aquae
fontium medicatorum, vt *Carolinae* aliaeque. Omnium suffragio
probatisimae virtutis sunt in debellandis morbis chronicis, sed
non alio modo, quam sub continuato vsu. Sic etiam Medicus
parum proficiet in malo hypochondriaco, hysterico, aliisque
morbis chronicis, nisi adpropriatorum medicamentorum vsus
continuetur. Et sic in ceteris. Certe! b. nostro HOFFMANNO
id ipsum confitente, prostant incomparabilis, aduersus multos
morbos, virtutis praesidia, quae sine continuato & repetito vsu
parum vel nihil iuuaminis adferunt. Si itaque, vti moris est, aegri,
non dicam de ipsis medentibus, hoc vel illud in vsu vocarint
& non statim, post illius vsu, in sensu incurruunt effectus, ad
aliud, ceu ad Deum tutelarem, confiunt.

§. XLI.

Si tandem non amplius in artis potestate sit, morbum ali-
quem chronicum superandi, & vbi pauca spes, pericula multa,
misera solamen esse potest *symptomatum mitigatio* & mortis
procrastinatio. Fas erit, requiem indere morbo, aut secundum
SENECAM, delinimenta magis, quam remedia illi opponere,
vt minus verminetur. Ut autem Medicus symptomatum gra-
uitatem leuet, eadem methodus, supra in morbis chronicis
descripta, commodat, ita vt aequalis sanguinis distributio con-
seruetur, alii officium respondeat, libera semper sit transpiratio,
vires, quantum fieri potest, analepticis erigantur, hisque
omnibus exacta viuendi ratio adiungatur.

T A N T U M.

VIRO NOBILISSIMO ET CLARISSIMO
PAVLO PAVLSONH,
CANDIDATO DOCTISSMO,
PRECATVR FELICITATEM MVLTAM

IOANNES IVNCKER.

Quo minus illi Studiosorum, qui neque verae virtutae, neque sapientiae puriori debitam nuantur operam, vera laude digni esse possunt; eo magis multo honore condecorandos esse censeo, ad utramque strenuos qui se praefiterunt. Hac, Nobilissime CANDIDATE, mecum ut reputarem, vita Tua bene apud nos acta, mihi praebuit occasionem: absuluto enim vitae academicae studio, virtutis ac diligentiae praemio, satis certe dignus, nunc condecoraris. Quia de causa a me impetrare non potui, quin Tibi de rite peractis studiis & ex illis fluente vero honore, reliquisque futuris commodis, congratulaver. Plura quidem de morum tuorum praefantia, ac Tua in addicenda arte salutari praesita assiduitate, in medium afferre possem; sed illius, quod Pindarus olim haud inconcine indicauit, ad bonam scilicet causam tria sufficere verba, memor, iusta tantum, testimonii causa, dicere liber. Te igitur tam in doctrina, quam in virtute multum decoris gerere, illasque veritatem, pro certo affirmare possum. Si ad Tuum exemplum plures rerum suarum satagerent, literis nominis qui dederunt, certe non tam multi inuenirentur, qui illo-
tis manibus medicinam facere auderent, nec tantus aegrotantium, qui caput suum iis temere credunt, ad perniciem numerus devocaretur. Quo maior igitur verae sapientiae & virtutis studio/sorum est penuria, eo magis plures Tui similes exceptamus. Tu enim, totius medicinae cursu feliciter peracto, in examine publico non solum pulcre stetisti, sed etiam ex doctissima Dissertatione, Te certum veritatis fontem reperivis, luculentem patet. De MORBIS CHRONICIS rite tractans scribis, illorumque refellis errorem, qui nimis cito, sed infuscate illos tollere conantes, luctum aegrotis importare, nocuunq[ue] ipsis periculum concitare solent. Chronicos morbos chronicam exposcere curationem, recte rationalium medicorum schola cen-set; nam sat cito, si sat bene iis medemur. Hoc qui cognovit & exercet, in illo uno plus, quam in malorum artificum turba, est boni. Perge, qua coepisti, incedere via; Te certe ad veram laudem vitaque felicitatem perducet, & praxis Tua, quod non tam spero, sed scio, magna multis erit emolumento. Fauxit Deus, verae sapientiae & salutis fons, ut Tui conatus in maximi nominis sui gloriam patriaque commodum euadant, ac Te, quae illius est benignitas, per longum temporis decursum sartum, tecum & incolorem feruet! D. d. XII.
Maii MDCCXXXVII.

ULB Halle
002 729 385

3



Sk





8

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICO-PRACTICA
SISTENS
METHODVM GENER ALIOREM
MORBOS CHRONICOS
RITE TRACTANDI

174758

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,
SERENISS. AC POTENT. BORVSS. REG. CONSILIAN. INTIMO,
S. R. I. NOBILI, MEDICINAE ET PHYS. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET FACVLTAT. MED. H. T. DECANO,

PRO GRADV. DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
AD D. XVII. MAII A. S. R. MDCCXLVII.

PVBlice DEFENDET

AVCTOR ET RESPONDENS

PAVLVS PAVLSONH,
LIVONVS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.